

IN EPISTOLAM S. PAULI AD GALATAS PROLEGOMENON.

EX Gallis originem Galatæ trahunt. Gallorum manus in Greciam, deinde, Brenno duce, in Asiam Minorem effusa, Cappadociam inter & Phrygiam, in Provinciâ, quam suo nomine Galatiam appellarunt, sedes sibi tandem statuere (a). Ad eos non semel de Evangelio dixit Apostolus (b), florentissimâ Ecclesiâ ibidem constitutâ. At primum Galatiam venit, quamvis tum vel corporis ægritudine fortè laborans (c), vel exantlatis persecutionibus elisus, triâ admodum, macilentâque facie, veluti Dei Angelus, aut ipsemet Christus exceptus est (d). Facile omnium primus ibi Fidem Ethnicis nunciavit (e); quamquam ante illum S. Petrus Judæos edocuisse videtur, uti ex ipsius Epistolâ ad Judæos dispersos, Pontis, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, colligimus (f); quibus tamen, Fidem, nonnisi Ecclesiâ Antiochiæ jam constitutâ, antequam primò Romam conferretur, à Petro nunciatam non ambigimus (g).

a Vid. Liv. lib. 38. Justin. lib. 25. Uffer. ad an. M. 3728. & 4430. Period. Julian. Chr. 51. Aft. 16. 6. deinde An. 54. Aft. 17. 23. c Ad Galat. 4. 13. 14. d Vid. Hieronym. & Theodoret. in eum loc. e Theod. hic Proleg. f 1. Petr. 1. 1. g Vid. Euseb. 1. 3. c. 1. & Tillemont. 1. 1. art. 28. de S. Petro, & not. 26.

h Galat. 3. 7. 10. i Galat. 5. & 6.

Quibus irruentibus malis ut viam Apostolus intercluderet, ad Galatas, recens ab Idololatria ad Fidem traductos, Epistolam tanti ponderis, quanti res tanta exposcebat, exaratam misit, qua Apostolatus suo, ab ipsomet Christo sibi commisso, validissimè stabilendo incumbit; admirandam sui conversionem exhibet; suamque missionem à cæterorum Apostolorum potestate immunem ostendit: præterea S. Petrum non modò suæ prædicationi non esse adversarium, neque in sua doctrina quidquam à recto absonum reperisse; verum etiam eandem laudibus extulisse, in Jerosolymitano Concilio unâ cum Apostolis approbasse, eademque ipsum Petrum promiscuè cum Ethnicis discumbentem usum esse. Quam quidem cum Ethnicis consuetudinem cautè & clanculum, ne Judæis admirationem crearet, à Petro adhibitam ultrò fatur. Cùm verò die quadam Antiochiæ in quamdam dissimulationem incidisset, se eidem nimiam infirmitatem exprobrasse testatur. Quæ omnia percurrit, ut ora tandem obstrueret Petri Discipulis, præpostero quodam zelo in se obtrectantibus, qui Principis Apostolorum nomine, & dignitate, ut Paulo detraxerent, abutebantur.

Ad quæstionem deinde tractandam accedens, an nempe Circumcisio, & Legalia salutis necessariò conducerent, pluribus ex Scriptura argumentis ostendit, & Circumcisionem & Legem Moysis inanes esse; benedictiones Abrahamo promissas ad eos, qui in Christi Fide persistissent, pertinere. Servatorem, ejusque Discipulos veros Abrahami filios, & benedictionum hæredes appellari; Judæos carnales in Agar, & Ismaele, Christianos verò in Sarâ, & Isaac exprimi; in libertatem Filiorum Dei per Fidem nos esse assertos; Hebræos semper servos extitisse, iisque, ut à peccatis continerentur, Legem constitutam; eorum singulos, qui sub Lege vivebant, maledicto fuisse obnoxios, à quo Christus per suâ Crucis supplicium nos vindicavit. Meminit demùm, non per legem, sed per Fidem eos Spiritu Sancto donatos; quo quidem argumento, apud illos validissimo, nullam Legis ad justificationem necessitatem demonstrat.

Post.

Postquam Apostolus ita suam apologiam texuit, pluribus ad mores rectè instituendos congestis, & ne Evangelii libertate ad concupiscentiæ desideria abutantur, iisdem instructis. A spiritu & à carne, à concupiscentia & à ratione per gratiam lumine perfusâ opera nostra egredi docet; & quæ à spiritu, quæve à carne dimanant, fufus enumerat. Monitos deinde, ut mutua benevolentia sibi respondeant, utque delinquentibus misericordiam indulgeant, ad sumptus pro magistris & Doctoribus munificè conferendos, hortatur. Neque Circumcisionem denique neque Incircumcisionem, sed in Christo novum hominem, novamque creaturam, salutis & sanctitatis acquirendæ conducere ostendit.

k Galat. 4. 8. &c. l Gal. 5. 2. m Gal. 4. 8. n Gal. 5. 2.

o Grot. Prolog. in Epistol. ad Galat. Ita & Hamm.

cæteri adversantur, ipso Apostoli Textu satis improbatam arbitramur.

Maximum de tempore, quo scripta, & de loco, unde Epistola missa fuerit, discernim. Magnus (p) Gregorius, Lodovicus Capellus (q), Ufferius (r), Pearsonius (s), alique plures, Ephesi exaratam ferunt (\*). Quorum omnium sententia, quam verosimiliorem ducimus, Latina inscriptione, Estio teste, respondet. Ex capite primo v. 6. paulò post, tribus nempe, seu quatuor, postquam Galata Fidei se addixerant, annis exarata præfertur. At enim Apostolus: Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium. Itaque post annos supra decem Apostolus eam dedisset, si ab eo Romæ in carcere adhuc detento datam velimus. Chrysostomus ad Romanos Epistolam hac posteriorem putat [t]; quare Romæ minime exaratam censet, cùm Paulus aliquot tantum annis, postquam ad Romanos scripserat, eò perrexerit.

Græcorum exemplarium subscriptiones Romæ datam perhibent. S. Hieronymus à Paulo in vinculis scriptam refert (u). Theodoretus datam primam omnium, quos Apostolus Romæ scripserit, tuetur (x). Inde factum est, ut Paulum inter vincula eam dedisse crederetur, quòd dixerit (\*): Nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Sed ille Christi Crucem in semetipso nonne semper exhibuit (y)? nonne verbera, vexationes, vulnera pluries pertulit, & pericula sæpissimè exhaustit? Præclariorum Interpretum subscriptiones hujus Epistolæ Græcæ, authenticas non esse conveniunt, quæ neque in S. Germani, Claramontanos, & aliis Vetusissimis Mss. reperiuntur. Eam denique anno à Christi adventu 55. Epheso ad Galatas missam & nos arbitramur, quòd validioribus argumentis hæc opinio innitatur.

p Gregor. Magn. Moral. in Job. 130. c. 8. q Ludovic. Capell. Hist. Apostol. r Uffer. ad an. 58. s Pearson. Annal. Paul. p. 15. \* Tillemont. in S. Paul. art. 29. Mill. not. in subscript. hujus Epistol. alii. t Chryso. in Rom. Proleg.

u Hieronym. in Gal. 6. 11. x Theodoret. in Paul. Proleg. pag. 5. \* Galat. 6. 17.

y 1. Cor. 4. 10.

DISSERTATIO

AN CEPHAS, QUEM PAULUS Antiochiæ redarguit, alius fuerit à S. Petro. Gal. 2. 11.

Vetusissimam difficultatem, perpendendam assumimus, quæ vel priorum ætatum spectatissimos Authores, qui utram sententiam iuventur, in contraria distinxit. Hæc sanè quæstio Petri, & Pauli, totiusque Catholice Ecclesie per magni interest; hinc enim nostræ Fidei hostes Petrum prævaricatorem. Paulum verò zelotypum & audecem fuisse, nostram verò Religionem ambiguam, atque incertam collegerunt.

Quæstionem facti primùm hic statuere oportet, videlicet, an is, quem Paulus Antiochiæ redarguit, Petrus fuerit necne. Quæstionem deinde juris, & cæteras ejus consecutiones perpendemus.

In Epistola, quam Paulus ad Galatas dedit, hæc legenda occurrunt (a): Post annos quatuordecim, ex quo Jerusalem se contulerat, tribus post annis à sui conversione (b), seu tantummodò in itinere, quod quatuordecim post annis à sui conversione instituit [c], iterum ascendit Jerosolymam.

a Galat. 2. 10. 14. b Galat. 1. 18. Aft. 9. 25. &c. c D. Th. Cajet. Perer. in Epistol. ad Rom. Baron. Ann. Christ. 51. Harduin. Dissert. in hunc locum. Etlus &c.

Ascendit autem, inquit Apostolus, secundam revelationem, & contuli cum Apostolis Evangelium, quod prae dico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut currissem. Qui cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputi, sicut Petro Circumcisionis, (qui enim operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes) & cum cognovissent gratiam, qua data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columna esse, dexteram dederunt mihi & Barnaba societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisione. . . Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei resitit, quia reprehensibilis erat. . . Dixi Cepha coram omnibus &c.

Mentio, qua brevibus his verborum finibus bis nomen Petri, versu nempe 7. & 8. ter nomen Cephae, versu 9. 11. & 14. invehitur, Interpretibus ambiguitatem creavit. Quidam enim utrumque nomen Petro commune fuisse sibi suadentes, Paulum Petro exprobrasse tuerentur. Quidam vero subscribentes opposito, Cepham, cui Paulus exprobravit, alium omnino à Petro asseverant. Hac autem sententia perarros nata est fautores; illi vero omnes propè non modò veteres, sed & recentiores Patres & Interpretes adhererunt.

Sunt, ait S. Hieronymus (d), qui Cepham, cui in faciem Paulus resituisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, ne locus detur Porphyrio blasphemanti, si aut Petrus errasse, aut Paulus procaciter Apostolorum Principem confutasse credatur. Porphyrius revera Apostolorum Principes de iis, quae docebant, inter se non convenisse hinc deducens, Petrus erroris, ambitionis Paulum, utramque mendaciam, & totam Ecclesiam inanem credulitatis insinulat. Valens & illi (Petro) maculam erroris inuere, & hinc (Paulo) procacitatis, & in commune fidei dogmatis accusare mendacium, dum inter se Ecclesiarum Principes disceptent. Hic Catholicorum insensibilis hostis S. Paulo, veluti homini procaci, & S. Petri dignitatem agrè ferenti, detrahit; & eam quaestionem veluti puerorum quandam disceptationem habendam enunciat (\*): minime intelligens, quanti Religionis tunc id inter-esset, quòd tam Judaei, quàm Ethnici, qui recens Fidei nomen dederant, Legalia inania esse, nihilque saluti conducentia, omnino suaderentur.

Hinc Origenes, & veteres Interpretes Graeci, teste Hieronymo (e), ut Porphyrii calumnias everterent, Paulum, de Petri consilio ipsi Petro exprobrasse asserunt; cum enim eadem uterque sentirent, eadem gererent, & de omnibus & singulis convenirent, Petrus tamen Paulo suavitè ut sibi coram omnibus exprobraret, quòd Judaei intelligerent, de Legalium inanitate, & de fidelium tam Judaeorum, quàm Gentium libertate, qua ad eadem minime tenerentur, se quamplurimum persuasum esse oportere; cum libenti animo, veluti suo exemplo Legalium necessitatem com-

probaret, redargui ab Apostolo patere-tur.

S. Hieronymus Graecis Patribus non modò subscribit (\*), sed addit praeterea, totam disceptationis seriem praesimulatio-ne, sanctaque politia de utriusque Aposto-li consilio institutam fuisse; ut à suis, quibus pertinaciter nimium inharebant, caeremoniis Judaeos removerent. Quam Hieronymi explanationem perlectam (f) S. Augustinus improbat; eumque datis literis monuit, per illam aditum Ethnicis patefieri, ut de Scripturarum simulatione, & Sacrorum Authorum mendacio suspicentur, quo quidem Catholica Religio omnimodè everteretur. Si enim Paulus fidei Petrum redarguit, Petrus profectò dignus non erat, cur objurgaretur; si verò dignus ob-jurgatione non fuerat, mendax Paulus, quòd illum merito increpandum asseruit. Augustinus utique & Hieronymus Petrum eundem esse ac Cepham, cujus mentio in Epistola ad Galatas, persuasum habebant; quare convenientes in facto, de quaestione juris tantummodo disceptabant.

Ad os Porphyrio, ait Augustinus, caeterisque obstruendum, id, quod Paulus gesserat, commendandum ostendere, quam infirmis, quae nova adversarii in nostram perniciem arma exhiberent, excusationibus defendere, satius fuisse (g): Magis fuerat adversus Porphyrium defendenda, quam ut ei daretur obstruendi major occasio. Re enim satis expensà, uterque potiùs laudibus est decorandus, quam sit excusationibus protegendus: etenim Paulus Charitati inserviens, Apostolo dignam libertatem praetulit; Petrus verò objurgationem non rejiciens, maximum humilitatis specimen exhibuit: Est itaque laus iusta libertatis in Paulo, & sancte humilitatis in Petro.

Authores Latini, qui de hac quaestione post Augustinum egere, eidem sententiae subscribunt. Ipse etiam S. Hieronymus, cum aliquandiu post adversus Pelagianos scriberet, Petrum tunc errasse, Paulum verò jure merito ei exprobrasse fatetur (h), & addit, nemini succedendum, si à peccatis omnibus non habeatur immunis, cum & Apostolorum Princeps erroribus se obnoxium duxerit: Quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit?

S. Augustinus de hac eadem sententia, S. Cyprianum in sua ad Quintum Epistola secum convenire testatur (i). Cui etiam favent Tertullianus (k) & Hilarius Diaconus (l). Post ea tempora Gregorius Magnus (m), D. Thomas (n) & clarissimi nominis recentiores Interpretes eidem subscribunt; quare, cum Veterum, quibus Hieronymus adhaesit, opinionem nemo in praesentia tueatur, disceptationem hanc prorsus absolutam censendam ducimus. De facti verò quaestione, an nempe Petrus à Cepha secerni debeat, quod est praecipuum Dissertationis argumentum, diversimodè dijudicandum. Vir doctissimus (o) sententiam hanc jam propè extinctam nuper excitavit, Petrum prorsus alium à Cepha esse contendens. Praestantissimus alter (p) hac de

\* Hier. Comm. in Epist. ad Galat.

f Aug. Epist. 28. 49. & 71. nov. Edition.

g Aug. Epist. 82. num. 22. nov. edit.

h Hier. Dialog. contr. Porphyrius. l. 1. c. 8. Vide & Aug. Epist. 260. ad Oceanum.

i Cyprian. Epist. 71. ad Quint.

k Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. 3.

l Ambrosiast. seu Hilari. Diacon. in Galat. 2.

m Greg. Magn. l. 2. Moral. c. 12. & l. 18. in Ezech.

n D. Thom. in Galat. 2. & in Summa l. 2. q. 103. a. 4. ad 2. & 2. q. 33. a. 4. ad 2.

o Haradin. Dissert. in hunc loc. Epist. ad Galat. 2. 10.

p Boileau Canonicius S. Cappelle. Disquisit. Theolog. in Galat. 2. 10. Parisiis 1713.

q Clem. Alex. apud Euseb. l. 3. c. 12.

r In Chronico Paschali Edit. Cang.

s Chrysostr. tom. 5. hom. 64. p. 719.

t Hier. ad Galat. 2.

u Gregor. Magn. in Ezechiel. hom. 18.

x Chronico. Alex. p. 213.

y Haradin. Dissert. in Galat. 2. 10. Edit. Amstelod. ann. 1706.

z Ann. Chr. 49.

a Galat. 2. 1. &c.

b Galat. 2. 9.

de re opere instituto, oppositum tueretur. Mos utriusque argumenta hic exhibemus.

S. Clemens Alexandrinus (q) in quinto suarum Hypotyposeon libro, omnium primum, ut putamus, Cepham à Paulo Antiochiæ redargutum, alium prorsus à Petro esse defendit. Eusebius verò ejus, quam refert, sententiam minime resistit. Saeculo quarto Dorotheus Tyrius Cepham, cui Paulus exprobrarat, inter septuaginta Discipulos recenset (r). Chrysostronus (s), Hieronymus (t), & Gregorius Magnus (u), sua quilibet aetate quosdam Cepham à Petro adhuc secernentes extitisse testantur; quam quidem sententiam eorum nemo comprobant, sed tum, dum viverent, neque incognitam, neque fautoribus prorsus destitutam ostendunt.

Chronicorum Alexandrinorum Author (x) saeculo septimo ad A. J. C. 30. duos & septuaginta Discipulos enumerans, Cepham, quem propter Judaismum Paulus increpavit, tertium recenset. Quo quidem contentione ab utroque Apostolo Antiochiæ habitam satis innuit. Oecumenius, qui decimo, & undecimo saeculo floruit, sententiam, quae Petrum à Cepha secernit, probabilem vocat. Author denique Commentarii in Pauli Epistolas, S. Anselmi nomine, ad duodecimum circiter, seu decimumtertium saeculum pertinens, quondam meminit, qui an Cephas Antiochiæ à Paulo increpatus idem cum Petro fuerit, adhuc ambigebat. Ha praecipue, quibus haec sententia sulcitur, auctoritates. Ad alia argumenta pergamus.

Paulus, ait P. Haradinus (y), anno à Christi adventu 35. Fidei se dedit; & anno 38. Aeg. tribus post annis à sui conversione, primùm Jerosolymam profectus est. Undecim post annis à primo hoc itinere, & quatuordecim à sui conversione (z), ut ea quae illuc usque in Evangelii praedicatione gesserat, (a) cum Jerosolymitanæ Ecclesiae Principibus conferret, iterum eò reversus, ab Jacobo, Cepha, & Joanne, Discipulis à tribus Apostolis ejusdem nominis longè aliis, dexteram accepit (b); à quibus etiam gentium Apostolus exceptus, Barnaba & Joanne sociis sibi assumptis, Antiochiam remigravit.

Petrus tunc temporis Jerosolymis commorante, Cephas, cujus modò ante mentio, aliquandiu post, nempe post Pascham, Antiochiam profectus, Paulo & Barnabae adhaesit, cum quibus unà & cum Gentibus Fidei Catholicae adjectis, quibus Legi minime subjiciendos fore sponderant, convivebat. Interea Judaei quidam Fidem amplexi, qui Ethnicos ad Catholicam Religionem traductos Circumcisioni, caeterisque Legalibus obstringi volebant, Antiochiam, quò Discipulus Jacobus ab Apostolo alter, eos dimiserat, pervenerunt. Quare Cephas se iis ingratum futurum veritus, à Paulo, caeterisque, quibuscum antea discubebat, Gentium Fidelibus discessit; cujus exemplum Barnabas secutus, eorumdem consuetudine abstinuit. Paulus itaque ut iis, quae ab eà insimulatione facile erupissent, malis occurreret, Cepha, quòd

coarguendus esset, coram omnibus exprobravit.

Post eam disceptationem Paulus & Barnabas designati, ut eà de re Petrum consulturi Jerosolymam se conferrent. Julio seu Augusto mense eò profecti, quae Antiochiæ contigerant, renunciarunt. Ad litem prorsus dirimendam Jerosolymitanum Concilium coactum fuit (c). S. Paulum, quae Deus per se ipsum in Gentibus Fidei pariendis egisset, hic referentem Petrus, totusque coetus commendavit, & decreverunt, ne imposterum Gentibus ad Ecclesiam accedentibus Legis jugum imponeretur. Quo quidem Cepham, qui Antiochià non discesserat, meritò à Paulo redargutum comprobantur.

Paulus & Barnabas unà cum Juda, Joanne, & Sila Epistolas Apostolorum hac de re decretorias Antiochiam detulerunt (d). Quare Fideles Gentium in eà, quam Paulus eisdem sponderat, libertate acquiescere.

Aliquandiu post Paulo in Syria & Ciliciam profecto, Cephas Galatiam & Corinthum contendit; Haradinus enim Cepham, propter quem Corinthii in partes diversas distracti conclamarunt; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cepha (e); esse eundem, cum quo Paulus Antiochiæ disceptaverat, à Petro quidem omnino alium, arbitratur. Hoc ordipe rem totam Haradinus componit: quo utique statim fit, ut Paulus Antiochiæ Petro non exprobraverit, cum Petrus tunc temporis Jerosolymis moraretur.

Neque itineris, quod propter disceptationem cum Cepha Jerosolymam usque instituit, neque ipsius Jerosolymitani Concilii, quod ad dirimendam litem coactum fuit, in Epistola ad Galatas Paulus unquam meminit; quod utique hac in quaestione animadvertere opere pretium ducimus; ii enim, qui Petrum à Cepha minime secernunt, Jerosolymitani Concilii tum meminisse tuerentur, cum scribit ad Galatas (f) se cum Jacobo, Cepha, & Joanne, qui Ecclesiae Columna habebantur, ea quae gesserat contulisse; cumque ab iisdem, qui simul consenserant, ut Fideles Gentium ad Circumcisionem non adigeret, dexteram accepisse testatur. Tertium verò Pauli iter [g], quod statuit Haradinus, qui ejus sententiam oppugnant, nullatenus defendi posse asseverant. Nos tamen utri adharcamus, adhuc non statuimus.

Joannes, ita Haradinus rei seriem prosequitur, Joannes, Judas & Silas, qui Apostolorum Epistolas Antiochiam detulerant, paulò post Jerosolymam ad eos, à quibus dimissi fuerant, reverterunt (h). Dimissi sunt cum pace ad eos, qui miserant ad illos, ideoque & ad Petrum, qui Jerosolymis adhuc commorabatur. Totam profectò difficultatem locus iste constituit; qui enim Petrum à Cepha secernunt, ei omnino innituntur, quòd tunc Petrus Antiochiæ non degeret. Quod infra nos perpendemus.

Ut Petrum à Cepha secernant, aliud argumentum inde hauriunt, quòd aliàs Pe-

d Hieron. in Galat. 2. 10.

f Porphyri. apud Hieronymum. Prolog. in Ep. ad Galat.

g Chrysostr. l. 5. hom. 64. p. 706. e.

h S. Hieronymus pro hac sententia citat Origenem, Didymum, Apollinarem, Eusebium Edesenium, Theodorum Heraclitae, Chrysostronum, Theodorem.

i Gregor. Magn. collat. 7. Graecis Patribus subscribit.

k Vide Hieron. Ep. ad August. p. 75. nov. Edit. Oper. S. August.

c Act. 15. 1. &c.

d Act. 15. 22.

e 1. Cor. 1. 12.

f Galat. 2. 9. Confer. Act. 9. 1. &c.

g Nulla fit mentio itineris Pauli & Barnabae usque Jerosolymam, de quo Act. 11. 29. quòd ad hanc rem nihil pertinet.

h Act. 15. 30.